



1709. 835
DE EO 1709. 4
Quod 11
NATURALITER JUSTUM
HONESTUMQUE EST
CIRCA
ACCUSATIONEM

Deo Directore,
PRÆSIDE
JOH. EBERHARDO RÖSLERO
Philosophiae Præticæ Prof. Public. Contu-
berniæ Rectore

Differet
FRIDERICUS HENRICUS GEORGI,
Uracensis.

Ad diem Maji.

In
Auditorio Philosophorum Æstive.

TUBINGAE,
Typis HIOBI FRANCKII,
Anno M DCC IX.

A
OB
1800
NATURALITERIS
HONESTIMORIBVS ET
CIVICIS
ACCOLATIONEM
Deo Dignitate
Johannem Henr. Rosero
Friedrichi Henrici Georger
Augsburgensis
Friedrich



I.

D explicandam Dissertationis nostræ Inscriptionem Accusationis vocabulum paulo curatius expendendum est, antequam ad rem ipsam progrediamur, ne ambiguo illius sensu distractus animus & confusus in incerto fluctueret. Accusare stricto significatu est: *Deferre crimen in Libello accusatorio, ad publicam vindictam legitima interveniente subscriptione.* Quæ quidem descriptio, neque illam complectitur accusationem, qua quis in judicio suum jus persequitur ob privatum suum bonum, nimirum uti satisfactio sibi fiat de damno vel injuria privatum illata, quem Actoris nomine, ab Accusatore distingue solent: neque denunciationi potest accommodari; ad quam libellum accusatorium, subscriptionemque requiri negant; inter quam & accusationem hoc insuper discriminis constituant, quod in hac attendatur emendatio fratrī, in illa autem punitio criminis, in hac denunciātō solum deferat Judici crimen, ut ipse pro suo debito & providentia invigilat, & consulat bono publico, in illa Accusator onus probandi in se suscipiat. Vid. Thom. Aquinas in secunda secundæ quæst. LXIX. art. 1. Azorius Institut. Moral. Part. III. L. XIII. c. 19. Joh. de Lugo. de J. & J. Disp. XXXVII. Seçt. 7. Denunciationem ipsam quoq; varie distinguunt. Quatuor ejus species recentent Canonistæ, *Evangelicam, Canonicam, Iudicialem, & Regularem:* quam tamen divisionem ut minus accuramat rejicit Azorius l. c. c. 21. Joh. de Lugo Disp. XXXVIII. S. 2. triplicem facit: *Evangelicam, f. Chri-*

*s. Christianam, Canonicam, quam & in latiori significatione, aliquando Judiciale vocari observat, & proprie *Judiciale*. Illam fieri ait superiori, tanquam Patri, ut subdito consulat: istam superiori, tanquam *Judici*, & potestate habensi, curamque publicam, non quidem ut puniat, sed ut is pro munere suo impediatur *damnum commune*, ex delicto imminens, vel alius privati: hanc superiori, itidem ut *Judici*, ut ipse ex suo munere puniat delinquentem. Quod tamen alii, uti jam dictum est, ad accusationem stricto sensu acceptam referunt. Idem vero in Disputatione antecedente. XXXVII. S. 7. n. 76. bipartito in *fraternam & iuridicam* divisaret, illam esse asserens, *qua aliquis recurrat ad Prelatum, non ut ad Judicem, ut puniat, sed tanquam ad Patrem, ut provideat bono delinquentis: hanc vero, qua recurrat ad superiorem tanquam ad Judicem, ut pro sua potestate provideat bono Communitatis, puniendo etiam & exercendo suum munus in foro Juridico.* Et hanc distinctionem veluti Theologis uisitatam adprobat Azorius l. c. quanquam *Judiciale* rursus in *Publiram & Privatam* dispeicit. Quomodo insuper ab Accusatione stricte accepta differat querela, docet idem Azorius l. c. c. 22. & Amelius de Conscient. L. V. c. 54. quæst. 7. qui tamen querelam aliter explicat, & pro delatione capit, *qua queritur bonum privatum partis offendæ, quod ab Auctore, potissimum respici, in quantum hic ab Accusatore differt, supra observavimus.* Nos per Accusationem ampliori voeis significatu hic intelligimus, *quamcunque delicti, consequæ delationem ad superiorem, quatunque intentione eafiat, cum & hunc usus veterum adprobet, & latissimum istum, quo accusare illi omnes dicuntur, qui apud quemcunque, etiam eum qui peccavit, de *injuria* conqueruntur, reprehendunt, objurgant, atque exprobrant factum.* Neque tamen nihil interesse putamus, *qua intentione quisque accuset, quod ex sequentibus fiet manifestum: etiam si**

alii

— 45 (3) —

aliis vocibus ad denotandam intentionis diversitatem non
opus esse putemus. Justi autem & honesti mentionem
fecimus in Inscriptione, quoniam considerare animus est,
non modo quid circa alios, quos respicit Justitia, sed etiam
quid circa nos ipsos, vel præceptum, vel lictum sit. U-
trumque enim sensum, & ajentem & negantem habere
hæc vocabula Grotius observavit de J. B. & P. L. I. C. I.
§. 3. Normam quoque significavimus in fronte, quæ nobis
hic est Lex Nat. utpote quibus constitutum non est, falcem
in alienam messem immittere. Igitur quid Leges Ci-
ties de Accusationibus fanciverint parum curantes, nostros
intra terminos, qui rectæ rationis dictamine circumscri-
buntur, nos continebimus, & quid permittat conscientia,
quid præcipiat, aut veter, circa præsens argumentum, ex-
pendemus.

Primum itaque illud investigandum est, an licet accusare, hoc est, crimen ab alio commissum denunciare superiore? Supponunt hanc questionem, tanquam indubie affirmandam Sotus, & quicunque Thomam fecuti in qua-
tuor articulos totam hanc tractationem dispescunt, di-
sputantes nimirum, utrum homo accusare teneatur, utrum ac-
cusato sit facienda in scriptis, quomodo accusatio sit vitiosa, &
quomodo male accusantes sint puniendi. Amesius de Con-
scient. L. supra alleg. delationem Rei de crimine Judici fa-
ctam, sive fiat per querelam, sive per Denunciationem Evange-
licam, sive per denunciationem Judiciarium, sive per Accusatio-
nem perfectam, si recte & ordine fiat esse rem licitam & hone-
stem asserit: adductoque ad probandam assertionem dicto
Pauli I. Tim. V. v. 19. duobus argumentis ex ratione de-
sumtis eandem confirmat: quorum prius est, quod hujus-
modi delatio sit medium quoddam proportionem & or-
dinem justum habens ad commune bonum defendantum:

alterum quod sit actus virtutis Justitiae, quatenus est vindicatio injuriarum atrocium, ex publica auctoritate. Parum sane prodesse Judicis aut superioris officium, nisi ad eum deferre licet, quæ correctionem, reparationem, aut vindictam merentur, nam quantillum est, quod illi, nisi ab aliis delatum, comperirent? Et cum in statu naturali damnum injuriāque nobis illatam per vim, si modores tanti sit, reparare, securitatique nostræ consulere possumus, per discessum ab illo statu, introductionemque status civilis misere consultum foret societati humanæ, si in hoc omnes injuriæ essent missitandæ, nullamque cautionem expetere licet futuræ securitatis. Vis autem quoniam hic ordinarie locum non habet, neque aliud medium suppetit, quam per delationem ad eum, qui vim habet cogendi, ad obtinendam à denegante & restitutionem, & cautionem, ad quarum utramque exposcendam laeso lacerdove optimum jus est: patet accusationem eo fine susceptam etiam in nostra causa, & nostri commodi respectu, licitam esse. Interdum vero ipsius peccantis interest, ut denuncietur, quo per correctionem ad frugem reducatur: quod potissimum intendisse videtur Josephus fratrum delicta ad parentes deferens Gen. XXXVII, 2. neque in eo quicquam fecit reprehensione dignum. Non nunquam innocentia non aliter potest succurri, quam per nocentis aut noctiuri delationem ad eum, qui noxam impeditire valeret. Est & cum directo ad Réip. bonum promovendum, aut malum avertendum spectat denunciatio delicti ac delinquentis. Quibus in Casibus non modo licita accusatio, sed, uti paulo post demonstrabitur, inter officia quoque & sub obligatione est. Ad dubium, quod ex Josephi, Mariam nolentis ~~adgredi~~ patitur, exemplo poterat oriiri, respondet B. Dannhauerus, hoc exemplo potius nos discere justitiae, h. c. exequitatis de jure suo remittentis esse, delicta

delicta adhuc occulta premere silentio, quod non semper quis teneatur crimen occultum manifestare. Laetantii verba, quæ habentur L. VI. Institut. c. 20. *Neque militare iusto licebit, cuius militia est in ipsa Justitia; neque vero accusare quemquam crimine capitali, quia nihil disfat, utrumne ferro an verbo potius, occiso ipsa prohibetur, si nullo discrimine facto, de quavis militia, & accusatione intelligantur, rigidiora sunt, quam ut calculum iis adjicere possimus.* Nunquid vero & poenam delinquentis licet intendere? Nos licere non dubitamus, in quantum per illam demum, aut emendari delinquens, aut præcaveri damnum, aut salus publica conservari, ac stabilitri posse viderur. Neque hanc licentiam denegamus, quod Romanensium Doctores faciunt, Clericis, quos illi non posse accusare contendunt, nisi protestatione facta, se non revelare criminofos ad vindictam, vel poenam sanguinis inferendam, sed vel ad obviandum malo publico, vel ad bona sua recuperanda. Nam si ad hunc finem obtainendum illud unicum sit remedium, quid obstat, quo minus & hoc expetratur? Etsi quivis bonus merito optet, ut alia ratione potius finem consequi liceat. Quam vero istæ protestationes factis sint contrariae, abominandæ inquisitiones, cruentæque persecutions abunde satis testantur.

III.

Ad questionem, an & quando accusatio inter officia, & lege præcepta sit, respondemus; Non semper, sed tum demum necessariam esse, cum finis, ad quem obligati sumus, alia ratione obtineri nequit, aut muneris conditio requirit, aut leges positivæ jubent. Nempe cum de licentia & necessitate actionum ad finem tendentium, nisi aliunde quid obster, ex finis ipsius natura, illarumque nexu cum hujus consecutione, recte judicetur, & jus ad finem, jus quoque ad media, pariterque obligatio ad finem, obligatio-

gationem ad media ordinata ad istum involvat: quoties facultatem habemus consequendi finis, qua pro arbitrio nostro uti vel non uti possumus, quotiesve ad finem quidem sumus obligati, alia vero suppetunt remedia, quibus iste vel commodius, vel æque commode possit obtineri, quam per accusationem, ad hanc instituendam nulla est obligatio; quanquam cæteris paribus licita esse possit. Hinc consequitur in propria causa, cum quilibet juri suo renunciare, & injuriam condonare queat, neminem teneri ad accusandum, nisi forte circa ejus generis bona versetur injuria, quorum dominium non est nobis concessum, vel injuria tertii cum nostra sit indulso nexu coniuncta. Indidem quoque conficitur, quoties in aliena causa vel salus publica, vel privata innocentis, non requirit accusationem, quotiesve alia via via Reip. aut privatorum læsio potest, illam sine violatione obligationis intermitte posse. Secus si res habeat, ubi de exitio patriæ agitur, neque patri est parcendum, quamquam alias judice Tacito, Annal. IV. l. XXVIII. atrox exemplum sit reus pater, accusator filius. Quamobrem rectè se habent illa Hecatonis apud Cic. L. III. Off. c. 23. quid si Tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? Silebit ne filius? Imo vero obsecrabit patrem, ne id faciat: Si nihil proficiet, accusabit, (h. e. objurgabit) minabitur etiam. Ad extremum, si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet salutis Patris. An vero ea, quæ antecedunt apud Ciceronem, quod nefas sit denunciare patrem fana expilantem, cuniculos agentem ad ærarium, adprobacionem mereantur, non immerito dubitamus. Saltem quæ de obligatione defendendi Patrem, delictorum ejusmodi manifestum adduntur, optime confutat Rachelius in not. ad l. alleg. Quam periculosem sit, amicitiae jura huic officio in criminis Majestatis anteponere funesto exemplo docuit in

*** (9) ***

in Gallia junior Thuanus. Quod ad privatorum damna
avertenda attinet, cum iniustitiae rei etiam illi sint, qui
ab iis, quibus infertur, si possent, non propulsant inju-
riam, & qui non defendit, nec obſtit, si potest, injuriæ
ramisit in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam
deserat: quousque se extendit obligatio defendendi, co-
usque etiam necessitas accusandi, ubi vel aliud, vel com-
modius non suppetit defensionis medium, feso portigit;
nempe quatenus sine nostro periculo, gravique incom-
modo, id fieri potest. Porro muneris conditio accusandi
necessitatem imponit Fiscalibus, similibusque in Rep.
Officialibus, Censoribus, Observatoribusque, ad id
a Magistratu constitutis, ut qua contra leges fieri com-
periunt, ad conservandam morum disciplinam denuncient.
Denique leges positivæ quoque interdum ad certa deli-
ctorum genera Magistratui indicanda obligant, quorsum
nonnulli referunt legem divinam Levit. V. 1. eodemque
pertinet statutum Ordinationis Provincialis Wirt. p. 189.
de blasphemis Magistratui indicandis.

IV.

Ex dictis jam patet, quinam accusare possint ac de-
beant. Nempe suam quisque, suorumque injuriam, ad
Magistratum deferre, & jus suum persequi, vel perse, vi
per alium potest. Quod ad alia delicta attinet, olim apu
Romanos diem alteri dicere, cumque accusare, quilibet
privatus, qui legibus speciatim non erat prohibitus, potे
rat: quorsum pertinet in ff. tit. de Accusat. & Inſcrip-
Quod institutum, etiamſi Cit. in Orat. pro Sext. Rolo
Amer. probare videatur, dum Accusatores, inquit, mul-
tis effe in civitate utile est, ut metu continetur audacia; isque
ipſe ejus rei speciem dederit in Verre & Antonio accusando:
idem tamen L. II. Off. c. 14. hoc non effe sapienter faciendum
monet, nec unquam nisi aut Reip. causa, aut patrocinij:

B.

Siner. 2.

Sin erit, pergit, cui faciendum sit sepius, Reip. tribus hoc muneris, cuius inimicos nesci sape non est reprehendendum. Modus tamen adsit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis, videtur, periculum capitii inferre multis. Id enim cum periculorum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominetur. Postea publica auctoritate certis hominibus id muneris tribui cæptum est. Quem morem ab Adriano repetunt, si modo apud Spartianum in ejus vita Advocati fisci idem, quod hodie, denotant. Laudat sane, quanquam falso principio nixus, Grotius L. II. c. 20. §. 15. & apud Venetos receptum etiam commemorat, priorique consuetudini varias ob rationes præfert Gaspar Contarenus L. III. de Rep. Veneta. Ubi igitur tale munus publicum institutum est, qui eo funguntur, illos Lex Nat. ad accusandum obligat, neque tamen idcirco privati omni obligatione liberantur. Etsi enim ad solennem ejusmodi & stricte dictam accusationem minime sint obstrikti, tamen, ubi res poscit, simplici criminum delatione publica privataque damna avertere, quantum in ipsis est, tenentur, inquirendi curam Magistratu*i* relinquentes. Si vero & lex positiva omnes in universum cives certi generis delicta denunciare jubeat, quin singuli ad id sint obligati, dubio caret.

V.

Disquiritur vero num iusjurandum vel pactum de non accusando sit validum? Respondeat Azorius ex glossa communiter recepta in cap. Quemadmodum, de Jure jurando: *Si pactum vel Iuramentum sit de non accusando delicto perpetrando, id est, quod imminet ac pendet in futurum, non valere, quia sis contra bonos mores, & bonum commune &c. si vero pactum sit de peccato jam perpetrato, quod nullo modo pendeat in futurum, neque damnum ex eo timeatur, tunc pactum validum esse, quia tunc non deserit occasio peccandi in futurum.*
Ma-

Magis adæquata viderur Joh. de Lugo responsio: *In omnibus casibus, in quibus, seclusa illa promissione, teneatur quis accusare, vel denunciare, non obligare talem promissionem, vel juramentum.* Ratio secundum eum est, *quia juramentum non est vinculum iniquitatis, vel potest obligare ad peccatum.* Arbitramur tamen & hanc decisionem non sine limitatione capiendam; nisi scil. casus aliquis ipsam promissionem & ius jurandum ei additum licitum efficiat. Quod contingit, si quis incidens in latrones, ne ab eis occidatur, juramento silentium promittere cogatur, scil. nunquam se ipsorum latrocinia cuiquam revelaturum, aut nomina Magistrati proditurum. Qua de re non ignoramus contrarias esse eruditorum opiniones. Magni nominis Theologi & Philosophi negant, servandum ejusmodi juramentum. Alii tamen ajunt. Placet, quæ contra Balduinum pro affirmante sententia disputat Sanderson, hic inferere. Verba ejus in Lib. de Juram. Obligatione Præl. IV. sect. 17. hæc sunt: *Difficile est hoc in genere aliquid statuere, inquit Fredericus Balduinus, Professor non ita pridem Wittenbergensis: Sed addit, tutius sibi videri, si silentium non præster, sed Magistrati indicet, et si juraverit, se non indicaturum.* Censet itaque istiusmodi juramentum non obligare; & afferit sua sententie tresrationes: quarum nullamibi satis facit, ut sunt ab eo propositæ breviter & nude sine ulteriore confirmatione. Primo aut, juramentum hoc esse de re illicita. Si id constaret, confessæ res esset, nec opus esset aliis argumentis. Sed hoc ab eo sumitur, non probatur. Si ergo putetur esse illicitum, quia officium est boni civis, homines facinorosos ad Magistratum deferre, ut supplicio, quod commeriti sunt, afficiantur; conceditur id quidem, sed non propter ea sequitur, semper peccatum esse, non deferre; Cum præcepta officiorum affirmativa obligent ad ea prestanta non simpliciter, sed cum possumus & expedit pro exigentia circumstantiarum. Dicit secundum, tale juramentum videri habere

eciam quandam collusionis cum latronibus. Quod est ab eo
 si timide pronunciatum, ut non debat putari multum fiducia
 suisse in hoc argumento, (speciem collusionis, speciem quan-
 tam, & videtur habere) Quod siue sit verum, sive non:
 quis interim probaverit, non licere homini viatori, si inciditur
 in latrones, in aperto ut periculo aliquid facere, quod videtur
 habere cum eis speciem quandam collusionis? Quod tertio loco
 afferit, hoc silentio justiana impeditri, improbos in impieate sua
 confirmari, alios hoc occasione induci posse in discrimen vita:
 valeret quidem, si ex eorum manibus salvus & injuratus eva-
 sisset. At qui supponimus, ni jurasset, occidendum. Quero
 ergo, licuisse ei tam vero vita discrimine jurare silentium, vel
 non licuit? si non licuit, (& sane duo priora argumenta aut id
 efficiunt, aut nihil sunt) certo perendendum est fuit; & quia tum
 supereret quid Magistratu, latrones indicaret? Quia ex ipsius
 silentio incommoda (equi obiectuntur, ex ipsius morte (cum mor-
 tuis indictum si perpetuum silentium) non essent eadem insecu-
 tura? At si licuit jurare, licebit & juramentum observare:
 nisi ferre (quod fieri potest) casus aliquis insperato emergens
 rem, quo tempore jurabatur licet am, reddiderit postea ex acciden-
 te illicitam. Sicut ergo donec contrarium firmioribus rationibus
 probetur, & in hoc casu, & in ceteris, ubi ugent dolus, me-
 trius, tyrannus & similia, virum bonum aut non debuisse jurare
 (quod durum videtur summo in vita discrimine, si res ipsa non
 sic illicita) aut debere quod juravit religiose observare. Con-
 sentit cum Sanderfonio ejusdem religionis consors La
 Placette Traité de la Conscience L. I. c. 18. è nostris vero
 B. Theodorus Thummius in Tract. Theologico de Jura-
 mentis & Jesuitarum & equivocationibus p. m. 202. seq.
 ubi ad varia dissentientium argumenta nervose respondet.
 Ceterum ubi licita quidem non tamen necessaria est accu-
 ratio, promissio cum primis jurata omnino obligat.
 Quam decisionem suo exemplo quandam comprobavit

Pompo-

Pomponius Tribunus pl. de quo hæc commemorat Val.
 Max. L. V. c. 4. *L. Manlio Imperioso diem ad populum
 Pomponius Tribunus pl. dixerat, quod occasione bene consciendi
 belli ductus legitimum obtinendi imperii tempus excessisset:
 quodque filium optime indolis juvenem rusticò opere gravatum
 publicis usibus subtraheret. id postquam Manlius adolescens
 cognovit, protinus urbem petiit, & se in Pomponii domum
 prima luce direxit: qui existimans in hoc cum venisse, ut
 patris crimina, à quo plus iusto asperre tractabatur, deferret,
 excedere omnes iussit cubiculo, quo licentius, remotis arbitris,
 iudicium perageret. Natus occasionem opportunam proposito
 suo juvenis gladium, quem testum attulerat, disinxit, tri-
 bunumque minis ac terrore compulsum jurare coegerit, à patre
 ejus accusatione recessurum. Eoque effectum est, ne imperios-
 sus causam diceret.*

VI.

Hinc facile etiam judicare est, quid Confessariis li-
 teat, cum hic quoque interveniat tacita fides. Roma-
 nenses quidem plerumque adeo rigidum istis silentium im-
 ponunt, ut nullum plane casum, nisi forte haeresin, & re-
 bellionem contra Papam, velint exceptum, unde hi Mo-
 ralistarum flosculi occurriunt: *si maxime totiu mundi sa-
 lus procurari possit per confessionis apertioem, id tamen nul-
 lo modo facendum: Imo si Christus adhuc in terra viveret, po-
 trius permittendum esse, ut trucidaretur, quam ut reveletur
 confessio. Et in Actis Anglicis memoriae proditum est, Comi-
 tem Norimbergiæ, pro tribunali Garnettum Jesuitam ita
 interrogantem, si quis apud ipsum confiteretur, se die
 sequenti Regem pugione transfixum, num rem sibi oc-
 cultandam putaret, responsum ab eo assertivum tulisse.
 Redius dicitur, nec scelera committenda, nec commissa,
 ex quibus damnum adhuc imminet, ut si quis pulverem py-*

rium subdiderit ædibus, vel veneno infecerit fontes, obligare ad silentium. Quanquam si sola facti denunciatione periculum possit avertere confessarius, ad auctorem ipsum indicandum non videatur obstrictus, cum obligatio non debeat extendi ultra suum finem.

VII.

Nunquid accusationem semper debeat præcedere fraternalia admonitio & correptio, quæstio videri poterat Theologico quam nostro fôro aptior, quando qui eam tractant uno velut ore ad dictum Servitoris Matth. XIIIX 15, 16, 17. provocant. Nihilominus ipsa etiam Philosophia non statim ad extrema remedia provolandum esse, sed similiori via idem finis obtineri possit, illa potius progrediendum dictat: quod & verba ex Cicerone supra §. III. recitata satis manifesto innuunt, dum preces, objurgationes, minas adhiberi vult, antequam indicium fiat. Unde omnino ex ipso recta ratione fluere videtur, quod ait Amesius: *Si per admonitionem fraternali corrigi possit delinqüens, & crimen ipsum non sit aliis pernicioſum, ita ut finis accusationis absque accusatione possit obtineri, tum charitatem (nam quod justitiam quoque addit, nostrum non facimus) postulare, ut accusatione missa facta, in correctione privata acquiescamus.* Idem tamen etiam recte observat, non esse semper necessarium, præmittere admonitionem privatam ac fraternali ante accusationem vel deflationem judiciorum. Aliquando enim scandalum publicum esse, quod privata correctione non possit tolli: aliquando nullam spem esse, admonitionem privatam aliquid valitaram: nonnunquam etiam bonum commune ita periclitari, ut per secretam admonitionem non possit defendi. Addo frustra præmiti admonitionem, ubi denunciatio ex munere vel lege necessaria est.

VIII.

VIII.

Quid si quis veram peccati sui pœnitentiam egerit, pleneque sit emendatus ac correctus, an tum quoque accusari poterit? Hic etiam pro diversitate circumstantiarum diversa est officii ratio. Scilicet nisi bonum publicum pœnam requirat, vel nauneris conditio, aut legis constitutio denunciationem injungat, cum neque emendatio delinquentis hic tanquam finis spectari possit, quippe quem jam emendatum ponimus, neque damni restitutio, quaे quoisque possibilis est, necessario nexus cum emendatione cohæret; charitatis officium potius abstinere ab accusando jubet. Repugnat enim huic, nullo fine exigen-te, alteri malum inferre. At ubi scandalum publicum alia ratione, quam per pœnam delinquentis, nequit auferri, in primis ubi quis eo munere fungitur, quo ad denuncia-danda, vel quævis, vel certi generis delicta adstringitur, vel ubi lex positiva absolute, & sine exceptione denunciari jubet peccantes: tum quidem horum emendatio accusationem neutiquam tollit. Cedit enim falsus privatorum saluti publicæ, lex charitatis legi justitiæ, obli-gatio imperfecta perfectæ.

IX.

An quis se ipse accusare teneatur, nunc porro discu-tiemus, Pufend. L. IV. c. 1. §. 20. de J. N. & G. obligatione proprie diæta quemlibet nocentem adstringi, ut ad repara-tionem damni abs se dati semper sit paratus: sed ut q[uod] uis ultro se ad pœnam præbeat, aut nomen suum ipse deferat, neminem teneri, ait. Quod ipsum assertum L. VIII. c. 3. §. 4. recte idem ad tribunal humanum restringit. Quamquam vero id non admittamus, quod inde elicere conatur Pufendorffius, nec reum à judice interrogatum ad confessionem criminis teneri: haec tenus tamen verum esse arbitramur, neminem obligari ad se ipsum accusan-dum,

dum, ut pœnam legibus statutam ultro sibi acerfar,
atque in se deposcat. Non potest enim non homo na-
turaliter à pœna abhorre, præsertim ubi ad mortem us-
que, aut grave aliud malum progrederiatur. Nulla vero ido-
nea dari potest ratio, quæ instinctum illum naturalem, &
amorem sui tam tenerum suppressimere jubeat, cum neque
ad emendationem peccantis, neque ad damni restitu-
tionem hic sit necessaria pœna, neque Reip. valde interdit pu-
niri delictum non notorium. Usu tamen evenire potest,
ut quis obligetur ad denunciandum semet ipsum, non qui-
dem ut pœnam in se provocet, sed ut damnum imminens
avertat; ut si quis ad patrandum facinus cum aliis conspi-
raverit, quos destinationis certos esse videt, vel si quena
innocentem pro auctore facinoris à se patrati ad suppli-
cium ductum iri comperiat. Tum vero si nomine suo sup-
presso per literas aut per confessionarium, vel in locum tu-
tum se conferens, vel alio modo, evitata pœna, rei veritatem
detergere, & damnum praecavere, aut innocentem eripe-
re possit, non dubitamus, quin id ad conscientiam in tuto
collocandam sufficiat: si vero alia ratione malo immi-
nenti non possit occurrere peccans, nisi per talēm nomi-
nis sui delationem, cum qua inevitabili nexu pœnam fore
conjunctam videt, præfenti etiam cum periculo suo se ipse
accusabit potius, quam patratum scelus novo scelere
augebit.

X.

Nondum tamen id expeditum est, an extra eas cir-
cumstantias, quas necessitatem accusandi semet ipsum im-
ponere modo dictum est, nomen suum deferre sit licitum.
Videri enim hoc poterat, eo maxime in casu, quo delicti
commisi denunciatio ultimum supplicium post se trahit:
contrarium officio se ipsum conservandi, quod instinctu
naturali superadditum probat Pufend. L. II. c. IV. §. 16.
No

Nos ex intentionis & causarum impellentium diversitate di-
versimode judicandum existimamus & considerandum,
num quis ex vita tadio vel desperatione, ut mortem suam
promoveat, se deferat judici: an vero ad tranquillam reddendam
conscientiam. Prius illud ab *autoxenias* crimen parum
abest, posterius adeo non est contrarium officio hominis erga se ipsum, ut tanto magis ei congruat, quanto mens præ-
stantior est corpore. Et si quid hic adversus obligationem
istam committitur, id non tam accusationi, quam antece-
denti delicto est imputandum. Cauta tamen agendum,
ubi proprij criminis denunciatio alios infamia vel pericu-
lo involvit non necessario, quod in adulterio fieri potest.
Ilos vero peccatum peccato augere palam est, qui ideo
tantum se denunciant, ut alios, quos perditos volunt, se-
cum in perniciem trahant.

XI.

Quæ de forma accusationis differuntur apud Thomam Aquinatem, & alios, an necessarium sit, ut scripto
fiat, nec ne, nos non diu morari debent, cum ipsi affir-
mant non ausint id juris Nat. præceptum vocare, sed
Augustini, jurisque Canonici auctoritate nitantur. Jus
enim Nat. rem ipsam præcepisse vel concessisse conten-
tuum, de solennitatibus, quibus actus humani circum scri-
buntur, parum est sollicitum, sed eas legibus positivis
determinandas relinquit, modo nihil statuant rationis
dictamini contrarium. Præterea qui hanc quæstionem
tractant, accusationis vocabulo in stricto significatu utun-
tur, ipsimet fatentes, denunciationem, quam nos sub ac-
cusatione complectimur, scriptura opus non habere.

XII.

Vitia accusatorum tria ex Jure Civili & Canonico re-
censent Thomas, aliquique ex Pontificiis, ex nostris Dann-
hauer in Colleg. Decalogico l. c. *Calumniam*, *Prævarica-
tionem*,

C

tionem,

tionem, & Tergiversationem. Calumniari secundum Martianum Jctum, est falsa crimina intendere, prævaricari vera crimina abscondere, tergiversari, in universum ab accusatione defovere. Illud quidem, præsertim si ex dolo malitiae animi proveniat, quod ad calumniam in sensu famosiori sumtam requirunt, Lege ipsa Nat. vetitum esse nullum est dubium. *Et ex ipso dictamine rectæ rationis, secundum Cic. Off. II. c. 14. hoc præceptum officii diligenter tenendum est, ne quem unquam innocentem in judicium capitii arcessas.* Id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam inhumanum, quam eloquentiam à natura ad salutem hominum, & ad conservationem datam, ad bonorum pessem perniciemque vortere? Nec sine causa hujus generis delatores Tacitus L. IV. Annal. c. 30. *genus hominum publico exitio repertum* vocat. Quamobrem salutari instituto improbus cæteroquin Imperator Domitianus, teste Sueton. in ejus vita, *fiscales calumnias, magna calumniantium pæna repressit, adjecta notabili voce: Principem, qui delatores non castigat, irritare.* Istud tum demum in vito ponitur, cum quæ criminia accusare officii ratio exigebat, ea retincentur, ac dissimulantur ab accusatore, vel pretio, vel alia ratione corrupto. Quemadmodum hoc quoque vitiosum non est, si quis ex charitate, misericordia, pietate, ab accusatione deficat, ad quam suscipiendam non erat obstrictus: multo minus, si, comperta ejus, quem accusare cœperat, innocentia, mutet consilium, & accusatoris partes deponat, quippe ad quod ipso etiam juris Nat. dictamine liquido obligatur.

XIII.


Cæterum à calumnia vito non penitus immunis est, qui ex errore culpabiliter, falsum crimen alicui imputat, cum hæc quoque non minima socialitatis pars sit, ita circumspècte agere, ut nostra conversatio aliis non fiat formido-

midolosa, aut intolerabilis, ut recte Pufend. **L.** III. c. 1.
 § 6. aut qui verum quidem delictum denunciat, quod ta-
 men ipse pro falso habet; hic enim quantum penes ipsum
 est, revera calumniatur, & quod verum proloquitur, id
 non nisi ex accidenti, & præter accusantis intentionem
 sit. Imo & ille suo modo calumnia reus est, vel saltem
 graviter peccat, qui crimen verum denunciando malitio-
 se exaggerat. Porro illicitæ, Jurique Nat. contraria sunt
 accusationes, ex pravo affectu, odio, invidia, ira, pro-
 fectæ, quæ ad satiandam ulciscendi libidinem, reorum
 que perniciem potius, quam bonum innocentis, aut Reip.
 tendunt. Omnino enim Pufendorffio adstipulamus, qui
 Off. I. c. 6. §. 13. ait, etiam *Nat. Lege damnari vindictam que nullum alium finem habet propositum quam agere facere illis qui nos lasserunt, eorumque dolore nostrum animum faciare*, & L. II.
 c. 13. §. 6. nequam eo fine panas esse exercendas, ut lasse
 animum pascat. & voluptatem capit ex dolore & suppicio latenter,
 quippe cum hac voluptas plane sit inhumana, & societati repu-
 gnans. conf. Grot. L. II. c. 20. §. 5. Denique & qui nullo alio fi-
 ne, quam lucri cupiditate, alios accusant, reprehensione di-
 gni sunt. Quo nomine male audiebant in Rep. Romana Qua-
 druplatores, uti patet ex L. II. & IV. Rhetoric. ad Herennium
 & ex L. II. c. 72. sive, quod Ascanius Pedianus in Cicero-
 nis Divinationem Verrinam asserit, fuere isti *delatores crimi-
 nrum publicorum in quaere quartam de proscriptorum bonis, quos
 detulerant, assequebantur*, sive, ut sextus Pompeius Festus L.
 XV. de verborum significativa, dicit fuere, *qui eo quatuor se
 tuebantur, ut eas res persequerentur, quarum ex legibus qua-
 drupli erat actio*. illud abominandum plane scelus est,
 specie amicitia ad scelera impellere, quo accusandi & ever-
 tendi occasionem nanciscari: quod Firmius Catus senator
 adversus Libonem Drusum effecisse memoratur Tacito An-
 nal. II. c. 27. seqq.

XIV.

Quod postremo de poena ejus disputant, qui in probatione defeccerit, an scil. teneatur ad poenam talionis, de eo ita cum Pufend. sentimus: Qualitatem, & quantitatem poenarum à definitione Imperii Civilis dependere, quam utilitas cuiusvis civitatis moderatur. Talionem proportionatam præcipit Lex Nat. hoc est, ut poena gravitati delicti, ex variis circumstantiis ponderandæ, respondeat; non simplicem & absolutam, quæ nec iusta semper honestaque, nec possibilis foret. Interdum tamen haud iniquum est, ut quod quis fecit mali talione simplici & ipse patiatur. Quemadmodum hanc poenam in calumniatores statuerunt, non modo leges Romanæ, Iuræ Canonica, leges Ægyptiorum, & Periarum, sed etiam lex Divina Deut. XLIX. quæ non minus de accusatore quam teste falso agere videtur. Si tamen simplex talio est, ubi quis patitur, non quod alter passus est, sed quod alteri inferre intenderat, &, quantum in se erat, ut ille pateretur, efficerat. Cæterum & æquitas natural. & utilitas Reip. postulat, ut non eodem loco habeantur, nec eadem poena afficiantur, qui dolo malo, & qui ex errore bona fide denunciarunt. Quis enim denunciare auderet delicta, etiam in publicam perniciem tendentia, si tantum denunciasse periculum fore?





Tübingen, Diss., 1706-09

X 241 8747



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-239596-p0026-5

DFG



18. 0555 (3.)
B.J.G. Black
6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
Inches

DE EO
Quod
**NATURALITER JUSTUM
HONESTUMQUE EST**
**CIRCA
ACCUSATIONEM**

Deo Directore,
PRAESIDE
JOH. EBERHARDO RÖSLERO
Philosophiae Practicæ Prof. Public. Contu-
berniæ Rector.

Differet
FRIDERICUS HENRICUS GEORGI,
Uracensis.

Ad diem Maji.

In
Auditorio Philosophorum Aestive.

TUBINGAE,
Typis HIOBI FRANCKII,
Anno M DCC IX.